



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus I. vtrum vnio Verbi incarnati, sit facta in natura

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

De modo vnionis Verbi incarnati, in duodecim articulos diuisa.



Inde considerandum est de modo vnionis Verbi incarnati. Et primo, quantum ad ipsam vnionem. Secundo, quantum ad personam assumptam.

Tertio, quantum ad naturam assumptam.

Circa primum queruntur duodecim.

Primo, vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in natura.

Secundo, vtrum sit facta in persona.

Tertio, vtrum sit facta in supposito, vel hypostasi.

Quarto, vtrum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

Quinto, vtrum sit facta aliqua vnio anime & corporis in Christo.

Sexto, vtrum natura humana fuerit vnita Verbo accidentaliter.

Septimo, vtrum ipsa vnio sit aliquid creatum.

Octauo, vtrum sit idem quod assumptio.

Nono, vtrum vnio duarum naturarum sit maxima vnio.

Decimo, vtrum vnio duarum naturarum in Christo fuerit facta per gratiam.

Vndecimo, vtrum eam aliqua merita precesserint.

Duodecimo, vtrum gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis.

Deinde D. Thomas an incarnatio sit, & propter quid præcipue facta sit. Nunc explicare aggreditur, quid ipsa sit, ita enim intelligendus est huius quæstionis titulus. Non enim proponit inuestigandum modum quasi accidentarium huius vnionis: sed modum essentialem, quod est querere illius propriam essentiam & quidditatem: quoniam vero hoc explicari non potest, nisi intellecto prius termino ex ipsa vnione resultante, ideo de his duobus differit in tota quæstione, præsertim vsque ad articulum nonum. Nam in reliquis tribus, præsertim in vndecimo, nonnulla miscet, quæ potius ad extrinsecas causas huius mysterij videntur pertinere.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in natura.



Primum sic proceditur. Videtur, quod vnio Verbi incarnati sit facta in natura. Dicit enim Cyrillus, & inducitur in gestis Concilij Chalcedon. * Non oportet intelligere duas naturas, sed vnā naturam Dei Verbi incarnatam. Quod quidem non esset, nisi vnio fieret in natura. Ergo vnio Verbi incarnati facta est in natura.

Infr. ar. 2. & 6. co. q. 12. ad 1. & q. 50. ar. 2. Et 3. d. 1. q. 2. ar. 1. & d. 5. q. 1. ar. 2. & 3. Et 4. co. ca. 35. 37. & 41. Et vtr. q. 2. 2. ar. 1. co. Et vnio. ar. 1. & op. 3. c. 211. 212. & 225. Actio 1. post op. 1. Cyrilli ad Ioan. ep. Antioch. non multum procul * In simbolo fidei sua. Nazian. in epist. 1. ad Cledonium. ante med. * lib. 3. orth.

Præterea, Athanasius dicit: * Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus: sed anima rationalis & caro conueniunt in constitutione vnus naturæ humane. Sic ergo Deus & homo conueniunt in constitutione alicuius naturæ: ergo vnio facta est in natura.

Præterea, duarum naturarum vna non denominatur ex altera, nisi aliquo modo in inuicem transmutentur: Sed diuina natura & humana in Christo ab inuicem denominantur: dicit enim Cyrillus, diuinam naturam esse incarnatam.

Et Gregorius Nazianzenus dicit: * humanam naturam esse deificatam, vt patet per Damasc. * Ergo ex duabus naturis videtur esse facta vna natura.

Sed contra est, quod dicitur in determinatione Concilij Chalcedon. * Constatemur in nouissimis diebus Filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, in-

diuise inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter vnionem. Ergo vnio non est facta in natura.

Respondetur dicendum, quod ad huius quæstionis evidentiam oportet considerare quid sit natura. Sciendum est ergo, quod nomen natura à nascendo est dictum: vnde primo est impositum hoc nomen ad significandum generationem vniuentium: quæ natiuitas vel pullulatio dicitur, vt dicatur natura quasi nascitura. Deinde translatus est nomen natura ad significandum principium huius generationis. Et quia principium generationis in rebus vniuentibus est intrinsecum, vltius derivatum est nomen natura, ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus: secundum quod Philosophus dicit in 2. Physic. * quod natura est principium motus in eo, in quo est per se, & non secundum accidens. Hoc autem principium, vel forma est, vel materia: vnde quandoque natura dicitur forma, quandoque vero materia. Et quia finis generationis naturalis est in eo, quod generatur speciei essentia, quam significat definitio: inde est, quod huiusmodi essentia speciei vocatur etiam natura. Et hoc modo Boetius naturam definit in libro de duabus naturis, dicens: Natura est vniuentis rem informans specifica differentia: quæ scilicet complet definitionem speciei. Sic ergo nunc loquimur de natura, secundum quod natura significat essentiam, vel quod quid est, sine quidditate speciei. Hoc autem modo accipiendo naturam, impossibile est vnionem Verbi Incarnati esse factam in natura.

Tripliciter enim aliquid vnum ex duobus vel pluribus constituitur. Vno modo ex duobus integris, perfectis remanentibus. Quod quidem fieri non potest nisi in his, quorum forma est compositio, vel ordo, vel figura, sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis, per solam compositionem fit aceruus: ex lapidibus autem, & lignis secundum aliquem ordinem dispositis, & etiam ad aliquam figuram reductis, fit domus. Et secundum hoc posuerunt aliqui vnionem esse per modum confusionis: quæ scilicet est sine ordine: vel per modum commensurationis, quæ scilicet est cum ordine. Sed hoc non potest esse. Primo quidem, quia compositio vel ordo, vel figura non est forma substantialis, sed accidentalis. Et sic sequeretur, quod vnio incarnationis non esset per se, sed per accidens, quod infra improbabatur. Secundo, quia ex huiusmodi non fit vnum simpliciter, sed secundum quid: remanent enim plura actu. Tertio, quia forma talium non est natura, sed magis ars, sicut forma domus. Et sic non constitueretur vna natura in Christo, vt ipsi volunt.

Alio modo fit aliquid vnum ex perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum. Et sic aliqui dixerunt, vnionem incarnationis esse factam per modum complexionis. Sed hoc non potest esse. Primo quidem, quia natura diuina est omnino immutabilis, vt in prima parte dictum est. Vnde nec ipsa potest conuertere in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis. Secundo, quia id quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie: differt enim caro à quolibet elementorum specie. Et sic Christus non esset eiusdem naturæ cum Patre nec cum matre. Tertio, quia ex his, quæ plurimum distant, non potest fieri commixtio: soluitur enim species vnus eorum, puta, si quis guttam aquæ, ampfora vini apponat. Et secundum hoc cum natura diuina in infinitum excedat humanam naturam, non potest esse mixtio: sed remanebit sola natura diuina.

Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permixtis, vel permutatis, sed imperfectis: sicut ex anima & corpore fit homo, & similiter ex diuersis membris vnum corpus constituitur. Sed hoc dici non potest de incarnationis mysterio. Primo quidem, quia, vtique natura est secundum rationem suam perfecta, diuina scilicet & humana. Secundo, quia diuina natura & humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitatarum, sicut membra constituunt corpus.

Corpus, quia natura diuina est incorporea. Neque per modum forme & materia: quia diuina natura non potest esse forma alicuius, præsertim corporis. Sequeretur enim quod species resisteret effectui communicabilis pluribus: & ita essent plures Christi. Tertio, quia Christus non esset humana natura: neque diuina natura. Differentia enim addita variat speciem: sicut vnitas numerum, sicut dicitur in 8. Metaphysicorum 4.

1. ad 8. sex.
10.

In Concil.
Constant.
can. 3. fuit
etiam Concil.
1. generale.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa Cyrilli exponitur in quinta Synodo * sic: Si quis vnam naturam Verbi Dei incarnatam dicens, non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quia ex diuina natura & humana, vnione secundum substantiam facta, sed ex talibus vocibus naturam vniam suę substantiam diuinitatis & carnis Christi introducere conetur: talis anathema sit. Non ergo sensus est, quod incarnatione ex duabus naturis sit vna natura constituta: sed quod natura Verbi Dei, carnem vniui sibi in persona.

1. ad 1. ar. 8.

Ad secundum dicendum, quod ex anima & corpore constituitur in vno quoque nostrum duplex vnitas natura & persona. Natura quidem secundum quod anima vniuit corpori, formaliter perficiens ipsum, vt ex duobus fiat vna natura, sicut ex actu & potentia vel materia & forma. Et quantum ad hoc non attenditur similitudo: quia natura diuina non potest esse corporis forma, vt in primo probatum est. * Vnitas vero persone constituitur ex eis, in quantum est vnus aliquis subsistens in carne & anima. Et quantum ad hoc attenditur similitudo: vnus enim Christus subsistit in diuina natura & humana.

1. ad 3. ar. 1.
1. ad 8.

Ad tertium dicendum, quod sicut Damascen. * dicit: Natura diuina dicitur incarnata, quia est vnita carni personam: non quod sit in naturam carnis conuersa. Similiter & caro dicitur deificata (vt ipse dicit) non per conuersionem, sed per vnionem ad Verbum, saluis suis proprietatibus naturæ aliis, vt intelligatur caro deificata, quia facta est Dei Verbi caro, non quia facta sit Deus.

COMMENTARIUS.

Ius Thomas non querit, an hæc vnio facta sit in natura diuina, sed absolute in natura, quia non agit de termino, cui vnita est humana natura, sed de termino ex vnione resultante. Non ergo queritur, an ratio terminandi hanc vnionem fuerit diuina natura (hoc enim infra quæst. 3. disputandum est) ne, an diuina ipsa natura humanæ vere ac proprie vnita sit, quod potius supponitur, cum ipsa incarnatio facta supponatur. Sed quæstio est, an diuina & humana natura ita vnitæ fuerint, vt ex vtraque vna sola natura resultauerit, quod aliis verbis disputari solet a Patribus, an Christus non solum ex duabus, sed etiam in duabus naturis subsistat. Nomen autem naturæ (omissis aliis significationibus, quæ Philosophis notæ sunt, & à D. Thom. in corpore articuli indicantur) tam in hac quæstione, quam in tota fere materia, integram ac perfectam alicuius rei, seu substantiæ essentiam significat.

Conc. Chal.
1. ad 1.

Respondet ergo D. Thom. impossibile esse duas naturas humanam & diuinam ita inter se connecti, vt coalescant in vnam. Et in argumento. Sed contra vtiur testimonio Concilij Chalced. quod habetur 2. Tom. Concil. actione 7. in secunda fidei definitione at in corpore articuli eam probat hoc modo. Tripliciter fingi potest duas naturas in vnam concurrere: primo per modum compositionis, vel ordinis, manentibus scilicet ipsis naturis in se integris & perfectis, ita tamen inter se ordinatis, vel coniunctis, vt vnam componant. Secundo per transmutationem vel alterutrius naturæ in alterutram, vel vtriusque in aliquam ab vtraque distinctam. Tertio per com-

positionem vnius perfectæ naturæ ex duabus imperfectis.

Primum modum excludit D. Thomas satis clare & distincte. Solum occurrit aduertendum, illum modum potius pertinere ad errorem Nestorij, & aliorum asserentium, vnionem hanc esse accidentalem duarum personarum, quam eorum, qui dicunt vnionem factam esse in natura, quia illa vnio duarum perfectarum naturarum tantum esse potest accidentaria, & ideo necessario supponit naturas, non solum perfectas in ratione naturarum, sed etiam in propriis personis, seu suppositis subsistentes: sicut in compositione domus, vel in infusione arboris non solum naturæ perfectæ, sed etiam supposita distincta supponuntur: & ideo vnio proxime fit non inter naturas vt sic, sed inter supposita: & idem est in vnione duarum rerum perfectarum, quæ solum est secundum quandam ordinem, vt contingit in exercitu, aliisque similibus, quia hoc ipso quod naturæ sunt integre & perfectæ, affecunt secum necessario sua supposita, nisi in aliquo vno supposito iungantur, & ita sunt clara omnia, quæ D. Thom. circa hanc partem docet. Solum posset quis vrgere interrogando cur non possint duæ naturæ integre & perfectæ immediate coniungi substantialiter ad componendam vnam naturam, ex qua veluti mediate resultet vnum suppositum, seu persona. Sed huius rei ratio sumenda est ex tertio membro, vt statim patebit.

Secundum modum excludit D. Thom. rationibus satis perspicuis, præsertim prima quæ fundatur in immutabilitate diuinæ naturæ. Sed obicit Caietanus, quia ex hac ratione benequidem conuincitur, hanc vnionem non potuisse fieri per conuersionem diuinæ naturæ in humanam, vel in aliam tertiam, quia quod conuertitur, necesse est mutari vel plusquam mutari, oportet enim vt esse definat, at vero è contrario, non videtur sequi hanc mutationem non potuisse fieri per conuersionem humanæ naturæ in diuinam, quia hoc sine mutatione diuinæ naturæ fieri potuisset, nimirum per transubstantiationem. Respondet autem Caietanus, hic non esse sermonem de conuersione per transubstantiationem, sed per transmutationem. Sed non placet, primo, quia plane petit principium, secundo, quia reddit mutilam, & imperfectam doctrinam D. Tho. qui tamen absolute & simpliciter omnes modos, qui falso fingi possent, nititur impugnare. Tertio, quia Caietanus admittit id, quod in argumento sumitur: cum tamen falsum sit: ex Dei enim omnimoda immutabilitate euidenter efficitur, nihil posse in ipsum conuerti etiam per transubstantiationem. Quoniam si aliquid in aliud conuertitur, necesse est, vt illud in quod fit conuersio, aliquid esse, vel aliquem nouum modum, vel certe nouam dependentiam antiqui esse acquirat, quia cum conuersio sit vera actio non destructiua tantum, seu priuatiua, sed positiva, accedens in aliquem terminum, impossibile est, quin aliquid nouum ponat in termino, ad quem tendit, quia hoc est de intrinseco conceptu huiusmodi actionis: hoc autem totum non fit sine aliqua mutatione eius, ad quem terminatur conuersio, vt in corpore Christi, quando in illud conuertitur panis, ponitur noua præsentia vel dependentia, & ideo sine dubitatione vlla aliqua mutatio in illo fit. Loquor autem generaliter de mutatione prout comprehendit quamcunque inceptionem, vel defitionem rei in aliquo reali esse simpliciter, vel secundum quid (immutabilitas enim Dei omnem huiusmodi modum mutationis excludit) & eodem sensu dicitur Deus ingenerabilis, & incorruptibilis, tam simpliciter, quam secundum quid. & tam ex natura sua, quam de potentia Dei absoluta, corpus autem Christi Domini etiā gloriosum non potest hoc modo ingenerabile aut immutabile dici, & ita nullum est fundamentum quo Caiet. nitebatur. Adde, etiam si fieri posset, vt ali-

Nestorij
707.

Obicit Caietanus

Responsio
Caiet. falsæ

Vt aliqua natura conuerteretur in diuinam sine diuinæ mutatione, incarnationem tamen per huiusmodi conuerfionem fieri non posse, quia quando aliquid ita conuertitur, non manet, & ideo illud in quo fit conuerfio, non fit id, ex quo fit conuerfio, nec manet eiusdem naturæ cum illo, vt constat ex conuerfione, quæ fit in Eucharistia: Christus enim non fit vere ac proprie panis, nec substantia panis manet in Christo: at vero per incarnationem Deus factus est homo, & humana natura vere mansit in Deo. Et huc tendit secunda ratio D. Thom. quæ sumpta est ex Damasc. lib. 3. c. 3. quia si hæc vnio facta esset per transmutationem alterius, vel vtriusque naturæ, Christus aut Deus non esset, aut homo, aut neque Deus, neque homo. Tertia vero ratio D. Thom. solum probat vnionem hanc non esse factam per transmutationem vtriusque naturæ, quia videlicet natura diuina, quæ potentissima est, conuenisset in se humanam (licet enim intelligenda est illa propositio in hac ratione sumpta, scilicet, Ex his quæ plurimum distant, non potest fieri commixtio) non enim est sermo de sola distantia in perfectione vel natura, sed in virtute & efficacia, nam si vnum est longe potentius, aliud consummetur.

Damasc.

Tertium modum aperte conuincit D. Thom. in proposito locum habere nullatenus posse, quia natura diuina & humana non sunt partiales & imperfectæ, sed perfectæ & integræ. Et hoc confirmat D. Tho. in secunda ratione huius partis, quia nec mente concipi potest hæc compositio, nisi fingendo naturam diuinam & humanam, vt partes substantiales vnus naturæ, & hoc implicat, tum quia esse, naturam completam & perfectam, & esse partem naturæ, manifesta est repugnantia, quia vnus terminus includit negationem alterius: tum quia aut essent partes integrales, seu quantitatiuæ, aut essentielles, per modum materiæ & formæ, atqui vtrumque repugnat diuinitati quæ incorporea est, & ideo pars quantitatiua esse non potest, & actus purissimus, prorsusque immutabilis, vnde nec materiæ nec formæ rationem habere. Quam rationem tetigit Athanasius apud Euthy. 2. par. Panopl. tit. 15. vbi differentiam constituit inter compositionem hominis ex anima & corpore, & Christi ex duabus naturis. Quod corpus & anima ex se (inquit ille) habent imperfectum esse quo fit, vt tunc etiam cum esse incipiunt, à se inuicem dependentiam habeant: at Dominus Iesus non ex imperfectis rebus existendi initium accepit: sed naturarum perfectarum in se initium ostendit, atque illic quidem hominis partes sunt anima & corpus, hic autem nec Verbum pars carnis est, nec, caro pars Verbi, horum enim vtrumque prius quam coniungatur, perfectam naturam ostendit. Addit D. Thom. aliam rationem, nam si ex diuina & humana resurgeret in Christo vna natura composita tanquam ex materia & forma, illa esset communicabilis pluribus, perindeque plures etiam Christos haberemus, quæ ratio sumpta est ex Damasc. lib. 3. cap. 3. vt bene cum D. Th. explicat infra art. 5. ad secundum, & ex eodem sumit aliam confirmationem quam addit hic, scilicet, quia quando vna natura componitur ex multis tanquam ex partibus denominatio suppositi non sumitur à singulis partibus, sed ab vna duntaxat resultante natura, quod in Christo longe aliter accidit. Non enim ab vna natura quasi ex duabus constante, sed à singulis diuina, inquam, & humana, & homo nominatur, & Deus.

Athanas.

Dubium.

Sed circa hæc dubitat Caietanus primo, quia non repugnat diuinitati esse formam, vt pote cum sit forma intellectus beati. Secundo, illa consequentia, quod talis natura composita esset multiplicabilis secundum speciem. Si intelligatur quoad eam partem quæ est quasi materialis, nullum est inconueniens: si vero quoad diuinitatem ipsam, quæ ponitur esse forma, non sequitur, vt patet in exemplo adducto de beatis, vbi licet multiplicentur intellectus, qui se

habent ad modum materiæ, & subiecti, non tamen diuinitas quæ se habet ad modum formæ. Tercio, illa consequentia: ergo essent plures Christi: si intelligatur de facto, nulla est, quia potest natura esse communicabilis pluribus, quæ actu non communicetur: de possibili vero nullum est inconueniens.

Diuinitas non potest esse forma alicuius.

Ad primum responderet Caietanus, diuinitatem non posse esse formam realem & physicam: posse tamen esse formam (vt ipse loquitur) in esse intelligibili, & ideo putat addidisse D. Thom. cum dixit naturam non posse esse formam alicuius, particulam illam, præsertim corporei. Sed veritas est vere ac proprie diuinitatem non posse esse corporis formam, aut spiritus, quia ratio formæ semper includit imperfectionem partis, & alicuius dependentiæ. Et licet ex parte subiecti imperfectioris & extenfi magis repugnet vt diuinitas corpus informet, tamen aliunde magis repugnat, vt informet spiritum, quia corpus forma substantiali affici nihil obstat, spiritus autem tantum accidentali, cuius ratio magis repugnat diuinitati. Neque est verum in beatitudine diuinam essentiam esse proprie formam intellectus beati, quia reuera non informat: sed solum supplet efficientiam formæ intelligibilis, & hac ratione dicitur habere vicem formæ, non quoad rationem informandi, sed quoad vim efficiendi.

Quomodo diuinitas informet spiritum intellectum beatum.

Aristot. 2. de celo.

Ad secundum & tertium Caietanus dicit, illam illationem D. Thom. fundatam esse in Arist. 1. de celo tex. 92. 93. & debere intelligi per se, quia ex accidenti contingit aliquam naturam de se communicabilem multis, actu non communicari, quia scilicet, in illa natura est tota materia suæ speciei, & quia in natura, ex qua constat Christus, non est tota materia, ex qua potest similis natura constare, ideo fit, vt illa possit numero multiplicari. Et præterea quia illa natura corruptibilis est secundum se, ideo sequitur etiam debuisse multiplicari. Sed qui fingere in Christo naturam compositam & humanitatem & diuinitatem, tanquam ex materia & forma, euertere posset hoc fundamentum explicando Arist. de naturis compositis ex illa materia & forma, quæ intrinsece & essentialiter tales sunt, omnis enim forma quæ natura sua est forma materiæ, est multiplicabilis numero: at vero si sit aliqua forma quæ licet natura sua non sit destinata, & cõdita ad informandam materiam: tamen voluntarie & supernaturaliter ad informandum inclinetur, non inde fit posse multiplicari secundum numerum, si alias infinita sit, prorsusque abstracta, atque ita est in proposito, & non ergo recte infertur, illam Christi naturam, si composita esse fingatur ex diuinitate, debere esse multiplicabilem numero, nam id non sequitur saltem ex parte deitatis, quæ secundum se semper manet incorruptibilis, & vna existens posset informare plures humanitates.

Forma non actuat nisi subiectum si bi proportionem habet.

Respondetur tamen, rationem D. Thom. supponere id quod est verissimum, nullum actum posse vere informare aliquam materiam, vel subiectum, nisi natura sua sit forma eius habens naturalem proportionem cum tali subiecto. Quare non tantum implicat naturam diuinam informare: sed etiam angelicam vel humanam, atque aliam quamcunque perfectam ac integram, quæ de se & natura sua physica, forma non fit, vt enim repugnat aliquid fieri albi formaliter per id quod natura sua albedo non fit, aut calidum per id, quod non sit calor: ita informatum nisi per actum, qui rationem formæ essentialiter habeat, vt hinc verum sit illud axioma Theologorum, effectum causæ formalis sine causa formali fieri non posse. Videlicet cum hæc sit omnino intrinseca causa, in fluxu eius, seu causalitatis, requiratur esse quoddam proportionatum atque coaptatum alteri, cum quo quasi se ipsam formaliter, & intime præbendo talem effectum constituere debet. Ad replicam ergo si sine causa vltimam concedo, contrarium errorē (si semel tingatur) eludere illationem D. Tho. quæ fundatur in princi-

Formalis non actuat nisi subiectum si bi proportionem habet.

principio contrario illi suppositioni impossibili; A
quod certissimum & verissimum est, vt diximus.

Argumenta D. Thom. sumpta sunt ex quibusdam
dictis Sanctorum, quæ à nobis tractanda sunt latè,
partim disputatione sequenti, partim quæst. 16. vbi
de communicatione idiomatum differemus. Et id-
eo nihil hic notare oportet, quoniam quæ ad men-
tem D. Thomæ pertinent, perspicua sunt.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnio Verbi incarnati facta sit in persona.



Secundum sic proceditur. Videtur, quod
vnio Verbi incarnati non sit facta in per-
sona: Persona enim Dei non est aliud à na-
tura ipsius, vt habitum est in primo. Si ergo
vnio non est facta in natura, sequitur,
quod non sit facta in persona.

2. Præterea. Natura humana non est minoris dignitatis in
Christo, quam in nobis: Personalitas autem ad dignitatem
pertinet, vt in primo habitum est. Cum ergo natura humana
in nobis propriam personalitatem habeat, multo magis habuit
propriam personalitatem in Christo.

3. Præterea, sicut Boet. dicit in lib. de duab. natur. * Perso-
na est rationalis natura indiuidua substantia. Sed Verbum
Dei assumptum naturam humanam indiuiduam, natura enim
vniuersali non subsistit secundum se, sed in nuda contempla-
tione consideratur: vt Damascen. dicit. * Ergo humana natu-
ra habet suam personalitatem in Christo. Non ergo videtur,
quod sit facta vnio in persona.

Sed contra est, quod in Chalcedonensi * Synodo legitur:
Non in duas personas partitum aut diuisum, sed vnum & eun-
dem filium vnigenitum Deum Verbum Dominum nostrum
Iesum Christum confitemur. Ergo facta est vnio Verbi in per-
sona.

b Respondeo dicendum, quod persona aliud significat, quam
natura. Natura enim, vt dictum est, significat essentiam spe-
ciei, quam significat definitio. Et si quidem his, quæ ad ratio-
nem speciei pertinent, nihil aliud adiunctum inueniri posset,
nulla necessitas esset distinguendi naturam à supposito natu-
ra, quod est indiuiduum subsistens in natura illa: quia vnum
quodque indiuiduum subsistens in natura aliqua, esset omni-
no idem cum sua natura. Contingit autem in quibusdam re-
bus subsistentibus inueniri aliquid, quod non pertinet ad ra-
tionem speciei, scilicet, accidentia & principia indiuiduan-
tia (sicut maxime apparet in his, quæ sunt ex materia & for-
ma composita) & ideo in talibus etiam secundum rem differt
natura & suppositum: non quasi omnino aliqua separata: sed
quia in supposito includitur ipsa natura speciei, & superad-
duntur quedam alia, quæ sunt præter rationem speciei: vnde
suppositum significatur vt totum habens naturam sicut par-
tem formalem & perfectiorem sui: & propter hoc in compositis
ex materia & forma, natura non predicatur de supposito:
non enim dicimus, quod hic homo sit sua humanitas. Si qua
vero res est, in qua omnino nihil aliud est præter rationem spe-
ciei vel nature sue (sicut est in Deo) ibi non est aliud secun-
dum rem suppositum & natura, sed solum secundum rationem
intelligendi, quia natura dicitur secundum quod est essentia
quadam: eadem verò dicitur suppositum, secundum quod
est subsistens. Et quod est dictum * de supposito, intelligendum
est de persona in creatura rationali vel intellectuali: quia ni-
hil aliud est persona, quam rationalis nature indiuidua sub-
stantia secundum Doctum. † Omne igitur quod inest alicui
persona, siue pertineat ad naturam eius siue non, vnitur ei in
persona, si ergo humana natura Verbo Dei non vnitur in
persona, nullo modo ei vnitur: & sic totaliter tollitur incar-
nationis fides, quod est subvertere totam fidem Christianam.
Quia ergo Verbum habet naturam humanam sibi vnitam,

non autem ad suam naturam diuinam pertinentem: conse-
quens est, quod vnio sit facta in Verbi persona, non autem in
natura.

Ad primum ergo dicendum, quod licet in Deo non sit aliud
secundum rem natura & persona: differt tamen secundum
modum significandi (sicut dictum est *) quia persona signi-
ficat per modum subsistentis. Et quia natura humana sic vn-
tur Verbo, vt Verbum in ea subsistat, non autem vt aliquid
addatur ei ad rationem suam naturam, vel vt eius natura in a-
liud transmutetur: ideo vnio humanæ nature ad Verbum Dei
facta est in persona, non in natura.

Ad secundum dicendum, quod personalitas in tantum
pertinet ad dignitatem alicuius rei & perfectionem, in quan-
tum ad dignitatem alicuius rei & perfectionem eius pertinet,
quod per se existat: quod in nomine persone intelligitur. Di-
gnitas autem est alicui, quod existat in aliquo se digniori, quam
quod existat per se. Et ideo ex hoc ipso humana natura di-
gnior est in Christo, quam in nobis, quod in nobis quasi per se
existens propriam personalitatem habet, in Christo autem
existit in persona Verbi. Sicut etiam esse completiuium spe-
ciei pertinet ad dignitatem forme, tamen sensitiuum nobi-
lius est in homine propter coniunctionem ad nobiliorem for-
mam completiuiam, quam sit in bruto animali, in quo est for-
ma completiua.

Ad tertium dicendum, quod Verbum Dei non assumpsit
humanam naturam in vniuersali, sed in atomo, id est, in in-
diuiduo (sicut Damascenus dicit *) alioquin oporteret, quod
cuiuslibet homini conueniret esse Dei Verbum: sicut conuenit
Christo. Sciendum est tamen, quod non quodlibet indiuiduum
in genere substantie etiam in rationali natura habet ratio-
nem persone: sed solum illud quod per se existit, non autem
illud quod existit in alio perfectiori. Vnde manus Sortis
quamuis sit quoddam indiuiduum, non tamen est persona:
quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet,
in suo toto. Et hoc etiam potest significari in hoc, quod perso-
na dicitur substantia indiuidua: non enim manus est sub-
stantia completa, sed pars substantie. Licet ergo hac humana
natura sit quoddam indiuiduum in genere substantie: quia
tamen non per se separatim existit, sed in quodam perfe-
ctiori, scilicet in persona Dei Verbi, consequens est, quod
non habeat personalitatem propriam. Et ideo facta est vnio in
persona.

COMMENTARIVS.



Illicenter notandi sunt termini in hoc
culo positi, non enim quærit simpli-
citer de vnione hypostatica, sed defi-
nite de vnione Verbi incarnati, suppo-
nit enim ex hie solum Verbum esse in-
carnatum, & de hac vnione prout facta est, D. Tho.
quæstionem mouet, vnde cum quærit, an facta sit in
persona de eadem persona intelligendum est, scilicet
de persona Verbi. Vniri autem in persona, quan-
tum ex littera articuli, & præcipue ex vltimis verbis
solutionis ad tertium colligi potest, nihil aliud est
quam vniri alicui personæ, non constituendo nouā
personam distinctam ab ea, cui aliquid vnitur, qua
ratione humanitas potest dici vniri suæ subsistentie
in persona, & partes toti, quæzere ergo, an vnio Ver-
bi facta sit in persona, idem est, ac quæzere, an huma-
na natura ita sit vnita Verbo Dei, vt ex illa vnione
non resultauerit noua persona, sed humana natura
personæ præexistenti copulata sit.

Dices, hoc non est inuestigare terminum resul-
tantem ex vnione, quod hic fuerat propositum, sed
quæzere terminum, cui est coniuncta humana na-
tura, quod ad quæstionem tertiam potius videtur
pertinere. Respondetur, ita esse hæc inter se conne-
xa, vt non possint omnino seiungi: formaliter ta-
men, ac directe non hic agitur, an id, cui proximè
con-

In corp. art.

Lib. 1. orib.
cap. 11.